



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monumenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713

XIV. Gratiae nomine civitatis Paderbornensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29975

Pascha, in basilica S. Petri Apostoli, inter cetera quae ad manum Papae offerebat, Deo in sacrificium obtulit. Videtne, Princeps optime, in quo religiosissimi Caesaris curae & cogitationes omnes evigilarint? In eo videlicet ut Westphalam universam ad CHRISTUM adjunctam, in Beati Petri, ejusque successoris potestate collocatam, DEO immolaret. Sed quantum interest inter rudem, agrestemque populum, & omnibus ingenii ornamentis excultum, tanto est tuum, Princeps Illustrissime, Caroli sacrificio praestantius. Cujusmodi enim Westphalam Carolus DEO consecrabat? nonne recens est tenebris emerfam, & etiam caligantem, ac, nisi metu retineretur, eodem rursus praecipitaturam? Tibi vero, Princeps Illustrissime, quale, & quam DEO jucundum munus licet offerre? tot lectissimos adolescentes, qui modo litteris in hac tua Academia operantur, quique consequentibus saeculis operabuntur: qui non modo ipsi salutarem doctrinam combibunt, sed alios quoque erudire, & aliud ex alio sacrificium possunt accendere: quod quidem sacrificium DEO gratissimum totque mortalibus salutare, jam inde ex eo tempore, cum primum hoc instituendae Academiae consilium, in hoc tuo Alifone, iniisti, immortalem tibi apud DEUM, & homines gloriam conciliat.

CAPUT XIV.

Gratiae nomine civitatis Paderbornensis.

Quò magis æquum est Paderbornenses, grates & laudes immortales DEO Opt. Max. habere atque agere, qui te huic Ecclesiae difficillimis temporibus Theodorum, id est divinum quoddam, & caeleste donum largitus est. Si enim tunc immortalis quodam se beneficio affectos profitentur, cum Caroli imperio huc missi sunt, qui primis eos salubris doctrinae elementis erudirent, quanto est hoc majus atque splendidius, tua Princeps ope perfectum esse, ut Divinae Sapientiae, & omnium, quae illi famulantur,
Disci-

Disciplinarum Templum esset Paderborna? Itaque quod disertissimus Judæorum Philo prædicabat de Athenis, eas esse in Græcia, quod sit pupilla in oculo, & mens in anima, idem nunc, tuo, princeps Optime, beneficio celebrabitur de Paderborna: eam esse *Lumen, Mentemque Westphaliae*. Hinc enim illa accerset, qui populum de superiore loco in templis erudiant, qui sacris tribunalibus præsideant, qui Ecclesias, qui coenobia gubernent. Hic illi divinarum, humanarumque rerum scientiam haurient: hic in luce doctorum hominum suæ eruditionis, & virtutis specimen dabunt: hic promeritis titulis, & decoris insignibus cohonestabuntur, eritque dubium plusne Paderborna dignitatis afferat Westphaliæ, tales fingendo, atque formando, an Westphalia Paderbornæ, iis, quos illa perfecit, munera honoresque mandando. Ipsa verò quantum inde fructum capiet, cum similiter atque his suis salubribus fontibus, omni scientiæ ubertate circumfluat? Numquam illa præterea usque eò se transversam trudi sinet, ut ab homine omnium rerum honestarum ignaro, & bardo, templum, aram, suggestum teneri, absterreri plebem à religione majorum, divelli ab imperio, & auctoritate Principis, & Antistitis sui, divina & humana violari patiatur. Fuerunt hæc Ignorantiæ facinora, quæ Rebellionem, Temeritatem, Furorem perpetuos habet satellites. At verò postquam tua, Princeps Illustrissime, insigni illâ caritate, quâ illius ubique salutem & commodum, nusquam tuum quæstum sequeris, congesti sunt, ut cum Apostolo loquar, carbones super caput ejus, atque demum, ne unquam ad pristinas tenebras revolveretur, hanc ei quasi immortalis lucis officinam comparasti, jubet nos divina Benignitas, & Sapiencia, à qua hæc tam certa præsidia provisâ sunt, omnia de ea, quæ volumus, polliceri. Licet verò, ut nunc quidem est, justo pauciores hoc tantum tuum beneficium, quanti par est, æstiment, vivet tamen, ac vigebit in memoria posteritatis sempiterna. Noli enim diffidere in paucis annis, Paderbornam ad ejus ætatis gloriam posse re-

vocari, cum totius propè, uti narravimus Septemtrionis lux quædam erat, & magistra. Ibi demum cognoscer quàm eximia fuerit tua voluntas, quàm salutaria consilia, quàm immortalia merita. At modò, tamen apud paucos, ut dixi, hæc eo sunt pondere quo oportet, tamen pauci illi maximas tibi, & suo, & infelicium illorum, qui minus intelligunt, nomine gratias agunt, Deumque precantur ex animo, ut quando non proinde, ac mereris, gratia tibi habetur ab hominibus, ipse tanto hanc jacturam pluribus, uberibusque præmiis inter mortales, cælestesque compenset.

FINIS LIBRI SECUNDI.

